

Maja Perfiljeva:

LUNA ET TU...

Hic es in amplexu mihi tu, mea blanda puella,
somnia luna tua somniat in facie,
namque ea non nescit, quam formosissima tu sis
atque beatos nos esse duos bene scit.
Dum cunctos aufert rebus nox atra colores
et redolent flores suaviter in tenebris,
oscula mollia luna tuae libat faciei,
somnia custodit luna serena tua.
Dum dormit mea virgo ut caerulea pupula quaedam
mergitur et mundus molliter in tenebris,
hanc prope, pol, me felicem, me tamque beatum!
O, date, dormiat haec tam pia, tam gracilis,
Lunaque fabellas huic narret cunctaque pulchra
et bona sint ipsi, nunc date, dormiat haec,
cum sit tam tenera ac iuvenis, quoniam in fabellis
visorum somni re procul est misera!

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*

Igor Pleško:

SUNT UMBRAE SUPER

Folia iam cecidere mille, mille
Latis arboribus humi vieta,
Nunc natura manet relicta, nuda.
Arbor corporis est mei figura.

Cuncta ex me cecidere cogitata,
Lumina aspicio silensque certa,
Umbrae sunt super inque corde frigus,
Subter exanimes — suave ver id.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*